Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26030
Copyright: Admont, Benediktinerstift

100

et posito subter caput lapide qui in zacharia septem oculos habere de
scribitur. et in esaya lapis dicitur angularis. Vidit scalam ad celum usque tenden
tem. in qua dominus desuper innitebatur. ascendentibus porrigens manum. et negli
gentes de sublimi precipitans. Sepulchra quoque in monte effraim iesu filii
naue. et eleazari filii aaron sacerdotis e regione uenerata est. quorum alter
conditus est in tamnatha septentrionali parte montis gaas. alter in
galaad filii sui finees. satisque mirata est quod distributor possessionum sibi
montana et aspera elegisset. Quid narrem sylo in qua altare dirutum hodieque
monstratur. et raptum sabinarum a romulo tribus beniamitica cucurrit.
transiuit sychem. non ut plerique errantes legunt sichar quae nunc neapolis appel
latur et ex latere montis garizin extructam circa puteum iacob intrauit
ecclesiam super quem dominus resedit. sitiensque et esuriens samaritane fide saci
atus est. quae quinque mosaycorum uoluminum uiris et sexto quem se habere iac
tabat. errore dosithei derelicto. uerum messiam et uerum repperit sal
uatorem. atque inde diuertens uidit xii. patriarcharum sepulchra. et
sebasten id est samariam quae in honorem augusti ab herode greco sermo
ne augusta est nominata. ibi siti sunt heliseus et abdias prophete.
et quo maior inter natos mulierum non fuit IOHANNES baptista. Intremuit
in mirabilibus. namque cernebat uariis demones cruciatibus rugire. et ante
sepulchra sanctorum ululare homines luporum uocibus. latrare canum. fremere
leonum. sibilare serpentium. mugire taurorum. alios rotare caput. et post
tergum terram uertice tangere. suspensisque pedibus feminarum uestes
non defluere in faciem. Miserebatur omnium. et per singulos effusis lacrimis
christi clementiam precabatur. Et sic erat inualida. ascendit pedibus montem
in quibus duabus speluncis persecutionis et famis tempore abdias propheta
centum prophetas aluit pane et aqua. Hinc cito itinere percurrit in
nazaram nutriculam domini. canaan et capharnaum signorum eius familiares.
lacum tyberiadis nauigante domino sanctificatum. et solitudinem in qua